

THESIS XXV.

*Ut conclusionem saltem theologicam defendimus, quod, seposito magisterio Romani Pontificis, magisterium reliqui coetus etiam universi Pastorum nequit sibi vindicare praerogativam divinitus promissae infallibilitatis in docendo: unum proinde est in Ecclesia subiectum immediatum auctoritatis infallibilis.*

I. Oportet punctum quaestionis declarare. Et primum certa quaedam praemittimus. Sane 1<sup>o</sup> Certum est quod unio corporis Ecclesiae cum suo capite visibili perennis erit, quemadmodum perennis erit Ecclesia; et idcirco perennis quoque erit unio Episcoporum cum Romano Pontifice, quatenus necesse est ut unio Ecclesiae cum suo capite eiusque perennitas et catholicitas sint in tuto. Quocirca si ex Christi institutione unio Episcoporum cum Romano Pontifice obtinetur per illorum erga ipsum subordinationem et obedientiam, certum est quod huiusmodi subordinatio et obedientia habebitur semper quatenus opus est ut ea unio existat.

2. Certum est auctoritatem docendi institutam esse ut actu doceat, atque assistentiam infallibilitatis promissam esse exercitio eius, ita ut si unum est subiectum infallibilitatis, alii autem sunt doctores authentici quidem non tamen per se infallibiles, non satis sit ad hoc ut horum sententia sit infallibiliter certa, quod hi coniuncti sint in communione cum illo, sed opus sit ut cum illo suam auctoritatem exercente coniungantur, sive hic exerceat eam explicite, sive saltem implicite.

Iam vero ad punctum quaestionis quod spectat, haec advertimus. 1<sup>o</sup> Quaestio non est utrum consensus universalis Episcoporum in aliquid credendum, illudque proponentium absolute fidelibus, sit infallibilis, ideoque sit motivum sufficiens adhibendi assensum fidei, etsi distincte non audiatur vox Supremi Pastoris h. e. Romani Pontificis: sed quaestio est unde sit immediate et proxime infallibilitas huius consensus. Primum profecto non negamus, imo defendimus. Cum enim fieri non possit ut universus Pastorum coetus secedat a suo capite, cum universi Episcopi aliquid credendum docent, et quidem non conditionate, si nempe ita videbitur Romano Pontifici, sed absolute, obligantes fideles ad assensum, et cum ipsi Pastorum coetui sit promissa infallibilitas, tenendum est magisterium huius coetus esse infallibiliter verum, quaecumque tandem sit causa proxima huius infallibilitatis. Quod si consensus Supremi Magistri pro infallibilitate huius magisterii postulatur, cum ille, quem diximus, consensus universalis absolutus detur, et fieri nequeat ut universus Pastorum coetus a

suo capite secedat, tenendum est in eo universali consensu contineri quoque consensum Romani Pontificis, cui tanquam Pastori principi suoque confirmatori consensum suum Episcopi subordinarunt; unde etsi magisterium Romani Pontificis distincte non sit auditum, certe tamen colligitur a posteriori. Porro si ita explicari potest auctoritas infallibilis huius consensus, perperam ex eo quod infallibiliter verum esse constat id quod tali consensu Episcoporum firmatur, colligitur Episcoporum consensum esse per se infallibilem seposito quoque magisterio Romani Pontificis. Restat scilicet adhuc integra alia quaestio realis: unde immediate et proxime sit infallibilitas huius consensus. Scimus quidem illud esse ex assistentia Spiritus S.; verum quia assistentiam suam Spiritus S. exhibere potest mediis quibusdam praesidiis, quemadmodum universae suae Ecclesiae assistit, sed mediante magisterio, ideo quaeritur an sit aliquod medium seu praesidium quo assistentiam suam erga Episcopos Spiritus S. exerceat. Et sane, ut iam monuimus, nemo dubitat consensum omnium etsi tantum simplicium fidelium in aliquid tanquam revelatum esse infallibilem, certumque veritatis argumentum: at nemo exinde dixerit coetum fidelium, sepositis Pastoribus, auctoritate magisterii potiri a Christo instituti: sed e contrario ope huius magisterii Pastorum evadit infallibilis consensus fidelium qui illi obediunt. In hoc proinde quod universus fidelium consensus tenet veritas revelata certissime continetur; at non idcirco universus coetus simplicium fidelium est magister in Ecclesia. Quapropter aliud est doctrinam profiteri infallibilem, atque eiusdem esse magistrum. Quemadmodum vero fieri potest ut coetus simplicium fidelium universus teneat infallibiliter veram doctrinam quin eiusdem sit magister, sed a magisterio Pastorum eam accipiat; ita fieri potest ut coetus Pastorum universus sit quidem magister veritatis, at infallibilis sit in docendo prout a magisterio supremi Pastoris regitur et confirmatur. Et sicut ex consensu fidei omnium fidelium colligere certo licet quid sit revelatum quin inde deducas fideles simplices esse magistros veritatis in Ecclesia, ita fieri potest ut quamvis consensus omnium Episcoporum feratur infallibiliter in aliquid verum, tamen eius consensus infallibilitas ab unius magisterio in omnes deriveretur, illius scilicet quem Petram fidei et Confirmatorem fratrum Christus data opera constituit.

Ut quaestionem clarius solvamus, spectemus magisterium circa res nondum in Ecclesia definitas. Si enim iam res est definita in Ecclesia, vel si ea est quam explicite Apostoli tradiderunt, et semper explicita professione fidei servata est in Ecclesia, est quidem in hac re infallibile magisterium universum Episcoporum, sed unde? an per

se, an quia adhaeret iugiter magisterio apostolico quod certe in Cathedra Romana Apostolica iugi successione perseverat? Ut ergo clare quaestio nostra solvatur, spectandum est magisterium Episcoporum circa ea quae nondum in Ecclesia sunt definita, pro quibus magis proprie iudex controversiarum postulatur: quod autem in his valet, et in ceteris valere tenendum est: nam idem reapse est testis et iudex in rebus fidei.

Quoniam vero comparaturi sumus invicem Rom. Pontificem et reliquos Pastores, opus est prius aliquid dicere de hac comparatione. Itaque 2<sup>o</sup> advertatur quod cum comparantur invicem Romanus Pontifex et reliqui Pastores, duplex coniunctio atque seiunctio concipi potest. Prior coniunctio est coniunctio in debita communione atque subordinatione Pastorum cum Romano Pontifice: altera est coniunctio specialis in actu quodam seu exercitio potestatis. Item seiunctio prior opposita priori coniunctioni esset seiunctio totalis, quatenus alii Pastores in communione Romani Pontificis non forent: altera esset seiunctio tantum in actu quodam, quatenus alii Pastores in communione Romani Pontificis existentes aliquid decernerent aut docerent, nondum accedente consensu aut approbatione Romani Pontificis. Ad priorem seiunctionem quod spectat; propter divinam promissionem quod portae inferi non sint praevaliturae contra Ecclesiam fundatam supra Petram, nunquam quidem eventurum est ut universus Pastorum coetus a Petro secedat; etsi possit cogitatione seiungi is a Petro et per hypothesim seiunctio ipsius supponi, ut eius coetus natura penitus investigetur. Illud vero contingere actu potest quod universus Pastorum coetus sive dispersus sive collectus, unitus communione cum Romano Pontifice, edat aliquod decretum fidei, cui adhuc desit approbatio Romani Pontificis. Quod quidem accideret cum decretum ederetur circa id, de quo Romanus Pontifex sive seorsim, sive simul cum aliis doctoribus sententiam suam nondum promulgaverit, Pastorumque coetus ipsum in definiendo praevertat. Differt prior hypothesim ab altera. In priore enim concipitur totalis seiunctio, excluditur nempe omnis communio Episcoporum cum suo capite, eique subordinatio eorumdem: in altera vero communio et subordinatio generatim habetur; deest tamen specialis communio et subordinatio in actuali magisterio quoad illud determinatum obiectum quod definiunt, cum nondum sententia Pontificis sit prolata. Magisterii nomine, ut patet, intelligimus ipsum exercitium potestatis docendi, actum, quo doctrina proponitur. Nihil est mali in eo quod Pastores praevertant definitionem supremi Pastoris; dicimus tamen quod definitio ab iis solis vel omnibus simul lata, excluso consensu vel approbatione Romani Pontificis, non est definitio irrefragabilis,

sive non est ea definitio, quae propter assistentiam Spiritus S. promissam Ecclesiae habenda sit ut infallibilis. Quia vero consensus Romani Pontificis duplici modo potest haberi tum expresse docendo, tum tacite, cum nempe permittit ab omnibus aliquid ut credendum proponi in iis adiunctis in quibus si quid falsum esset, certe refragaretur, hinc nunc cum consensum dicimus, ipsum sumimus utroque modo.

Advertendum vero est nos non affirmare quidem quod ea definitio Episcoporum sit falsa, vel quod nullo in pretio sit habenda, vel quod ex quodam principio rationis probantis in certis adiunctis universalitatem consensus esse alienam ab errore, non possit esse scientifice seu theologice certum quod ab Episcopis proponitur. Verum hoc aliud est ab infallibilitate quae ex assistentia Spiritus S. dos est necessaria et nobis firmissime certa magisterii Ecclesiae. Sed negamus ipsam solam Episcoporum definitionem esse vi assistentiae divinae Ecclesiae promissae necessario infallibilem; cui proinde respondeat in fidelibus obligatio credendi. Haec sententia est directe opposita doctrinae gallicanae superius recitatae.

Quaestio est igitur de infallibilitate universi coetus Pastorum a Romano Pontifice seiuncti in actu docendi secundum alteram hypothesim. Et quaestio est de magisterio circa rem nondum definitam et a Romana Sede probatam. Supponitur coniunctio omnium Episcoporum cum suo capite, supponitur proinde unitas coetus, in qua sit potestas in actu primo docendi infallibiliter universam Ecclesiam: sed simul supponitur quod in actu secundo exercitium huius potestatis fiat tantum per reliquos Episcopos, nondum docente Romano Pontifice; quaeritur utrum illud exercitium potestatis docendi, quod magisterium dicimus, sit ex divina promissione habendum infallibile, ideoque irrefragabilis auctoritatis. Quoniam hac in re definitionem fidei non habemus, quod proponimus in Thesi non proponimus ut veritatem fide credendam, sed tanquam conclusionem theologiam quam censemus ope rationis ex principiis theologis colligendam esse; qua in re si forte erramus, arbitramur hunc nostrum laborem id saltem emolumenti allaturum ut ad rei penitorem indagationem doctos viros adducat. In expediendis autem difficultatibus argumenta sententiae oppositae proferentur, ut nihil desit integritati huius tractationis.

II. Sic ergo demonstrationem nostram aggredimur. Si omnis coetus Episcoporum adhaerentium Romano Pontifici, universalitate saltem morali, consentiat in aliquid, nondum Rom. Pontifice sententiam suam ferente; duplex hypothesim fieri potest. Vel enim Episcopi sententiam suam ferunt non subordinantes eam sententiae Ro-

mani Pontificis, vel subordinant ita ut ipse peremptorie rem definiat. Si subordinant, tum solum iudicant ita esse credendum si Romano Pontifici videbitur; qua in hypothesis sententia eorum est certe reformabilis, nec est magisterium quod vel totam Ecclesiam vel aliquos fideles obliget. Si vero supponitur quod non subordinent, primo dicimus quod haec hypothesis nunquam continget, et posita Christi institutione est absurda. Esset enim hic actus schismaticus repugnans Primatui. Cum enim omnes Pastores sint oves a Christo traditae pascendae Vicario suo, et hic unus sit supremus et universalis Pastor totius Ecclesiae, foret actus rebellionis contra Primatum si vellent Pastores inferiores citra consensum Primatus peremptorie quaestionem fidei definire, et obligare Ecclesiam universam aliquo actu suo. Verum secundo ut solvamus quaestionem quam prae manibus habemus, permittamus hanc hypothesis. Negamus autem in hac hypothesis eorum sententiam esse infallibilem. Ideo vero negamus quia magisterium universi coetus Pastorum citra consensum Rom. Pontificis non gaudet privilegio infallibilitatis, quod sic demonstramus.

1<sup>o</sup>. Promissio infallibilitatis facta est tantum magisterio quod diximus (praenotion.) universale, illi nempe cui tota Ecclesia necessario parere debet: atqui magisterium ceterorum Episcoporum, nondum docente Romano Pontifice, licet sit actus eorum, qui suo capiti coniuncti sunt, non est tamen magisterium universale: ergo. Maior est extra dubitationem iuxta dicta in Praenotionibus: probatur minor. Magisterium universale est magisterium exigens fidem ab universa Ecclesia, est proinde actus iurisdictionis (§. XX.) in universam Ecclesiam: porro hic actus iurisdictionis debet esse a potestate suprema in universam Ecclesiam: huiusmodi autem suprema potestas non residet in universitate sive fidelium sive Episcoporum, sed in uno, ut ex demonstratis (Th. XII ac sequentibus ac XXIV F.) abunde liquet: atqui cum potestas suprema non est in universitate sed in uno, decretum ab ea universitate profectum pro tota societate citra consensum unius in illud ipsum quod decernitur, non habet vim legis pro tota societate, quae ab eo uno solum tota dependet: ergo. Scilicet si potestas suprema esset in universitate Episcoporum, tunc decretum editum a maiori parte Concilii oecumenici vel universalis Episcoporum cui praesidet Romanus Pontifex, etsi ipse non consentiret, imo dissentiret, validum foret, eique non secus ac alii, Romanus Pontifex subscribere deberet. At e contrario potestas suprema iurisdictionis est in uno, h. e. in Romano Pontifice, uni enim totus grex commissus est pascendus, uni tota Ecclesia tanquam petrae innitur, uni claves Regni datae, plenaque potestas ligandi et solvendi;

unum est principium efficiens unitatis totius; atque ab hoc uno omnes nedum singillatim sed et collective dependent, ut iam demonstratum est. Iam vero cum tale est societatis regimen, leges latae ab universitate, etiam in Concilio cui praesit supremus Princeps, vim non habent obligandi societatem, nisi accedente consensu Principis; nec sine suo consensu possunt sui subditi ab aliis ligari. Ergo decreta fidei edita a coetu Episcoporum etiam in Concilio quod convocaverit Romanus Pontifex, cui ipse praesit, nondum accedente consensu eiusdem, non habent vim legis pro tota societate: non est igitur magisterium illud quod diximus universale, nequeunt proinde ea decreta sibi vindicare promissionem infallibilitatis. Et sane infallibilitas magisterii dos est plenitudinis auctoritatis in docendo; atqui plenitudo auctoritatis non est penes ceteros Episcopos etiam simul sumptos, sed penes unum Rom. Pontificem, penes quem solum est plenitudo potestatis qua Ecclesia regitur, plenitudo potestatis illius quae verbis Christi ad Petrum et ad Apostolos significatur: atqui Ecclesia regitur quoque auctoritate magisterii, et haec auctoritas significata est quoque verbis Christi: ergo.

Si vero hypothesis quis facere velit quod Romanus Pontifex facultatem faciat ceteris Patribus, puta in Concilio, edendi decretum fidei, ratum ipse habiturus, absque ullo examine, quod illi decreverint: 1) haec non est hypothesis gallicana, haberetur enim consensus Pontificis auctoritativus robur addens decretis, quae sine eo non valerent: hoc autem respuunt gallicani: 2) in hac hypothesis nondum haberetur iudicium ultimum magisterii Ecclesiae: etsi enim Episcopi ceteri omnes aliquid credendum decernant, evidens est quod adhuc postulari potest disertum iudicium Romani Pontificis, ut certo sciatur an idem ipse doceat credendumque proponat quod ceteri, ideoque potest adhuc dubitari an consensu suo Romanus Pontifex probet quod alii docent: nondum est igitur ultimum iudicium, cui omnes parere debent, prolatum: nondum igitur habetur magisterium universale. 3) Haec hypothesis est absurda: licet enim possit alteri delegari participatio potestatis, potestatis tamen plenitudo nequit a Vicario Christi in alium sive alios transmitti: porro ea requiritur ut infallibilitas habeatur, quae cum illa nexa est; quia ipsa sola legem ferre potest irreformabilem pro universa Ecclesia.

Itaque consensus Romani Pontificis requiritur ut lex credendi obliget omnem Ecclesiam; consensus, inquam, sive explicitus sive tacitus requiritur ut ultimum iudicium habeatur quo omnes obligentur: ergo sine magisterio Romani Pontificis, ceterorum magisterium non illud est cui universa Ecclesia parere debeat, seu non est universale: ergo nequit vindicare sibi promissionem infallibilitatis.

Dices: infallibilitas haberi potest citra iurisdictionem; formaliter enim istae duae praerogativae differunt. Et sane si quis miraculis doctrinam suam confirmat, infallibilis quidem est, at iurisdictione caret qua valeat praecipere assensum. Respondeo primo quod hoc alterum perperam profertur in medium. Falsum est enim quod hic praedicator sit infallibilis, sed infallibilis est doctrina quam praedicat, cuius rei argumentum certum est testimonium Dei miraculum patrantis. Nos autem loquimur de infallibilitate quae dos sit magisterii sitque ratio cur teneamus id quod magister docet; ideoque eius nostra cognitio antecedit cognitionem de veritate doctrinae traditae. Quamvis vero infallibilitas magisterii possit esse seiuncta a iurisdictione obligante ad assensum; attamen modo quaestio non est quid possit esse, sed quid sit; quid nempe Christus instituerit. Iam vero certum est quod aliqua auctoritas infallibilis docendi in Ecclesia est simul auctoritas iurisdictionis (§. XX): quaestio erit ergo an sit haec sola, an alia quoque sit quae sit sola auctoritas infallibilis docendi carens iurisdictione obligante ad assensum. Atqui ei qui illam asserat incumbit onus id demonstrandi: verum sive ex Christi verbis sive ex Ecclesiae sensu aut praxi haud video quomodo id effici valeat. Nec satis in tuto ponitur unitas Ecclesiae quae est unitas subordinationis omnium membrorum uni capiti. Nam si certa est infallibilitas (si enim ut certa non defenditur, veluti nulla est habenda, quemadmodum in praenotionibus monuimus), obligaris ad credendum id quod magisterium illud docet tum lege naturae tum lege quoque positiva Dei, qui certe vult credi magisterio infallibili a se instituto ut homines doceantur fidem. Et quia magisterium hoc versatur circa fidem in qua unitas esse debet, obligaris lege Dei ad credendum id quod illud magisterium infallibile docet, ut sis Ecclesiae membrum seu catholicus. Duplex est ergo principium unitatis Ecclesiae, quorum alterum ab altero seorsim agere potest: magisterium nempe Rom. Pontificis, et magisterium ceterorum simul Episcoporum. An haec est institutio Christi? Nonne e contrario constat quod deficiente consensu Rom. Pontificis nulla est obligatio credendi sive ex lege naturae sive ex ulla lege positiva Dei? donec enim Rom. Pontifex definitiones conciliares in rebus non antea definitis confirmaverit, nunquam creditum est obligationem haberi pro fidelibus ad credendum, ut catholici et membra Ecclesiae permaneant.

Quocirca utrumque Christus in eodem subiecto coniunxisse dicendus est, supremam nempe potestatem iurisdictionis et infallibilitatem, ne simul circa idem et obligeris ex uno motivo, et liber sis ab obligatione ut oppositum tibi liceat, ex alio.

Praeterea 2<sup>o</sup> magisterium ceterorum est magisterium eorum qui,

prout sunt quoque in unitate aedificii, innituntur Petrae ab eaque firmitatem mutuatur, qui prout unum collegium quoque constituunt, sunt oves Petri pascendae ab ipso, sunt fratres confirmandi in fide a Petro, patet hoc ex argumento proprio (Th. I, II, III, et XXIV): porro ex his liquet magistros huiusmodi non coordinari Petro, sicut coordinantur inter se, sed ei subordinari; subordinari autem ut pascendos et discipulos confirmatione indigentes; magisterium vero eorum, qui ex Christi institutione confirmatione indigent, nequit ex eadem institutione esse ex sese firmum et peremptorium: magisterium autem non firmum et peremptorium haud est illud cui tota Ecclesia parere debet, nec est infallibile, ergo.

Idem quoque 3<sup>o</sup> constat continua Ecclesiae praxi, qua, ut dicebamus, postulata est semper confirmatio Conciliorum oecumenicorum a Romano Pontifice ut haberentur eorum decreta tanquam norma infallibilis fidei. Id quidem iam probavimus in praeced. Th. F. Ex quo id consequitur: ergo iudicium sive sententia Pontificis postulat, ante iudicium Pontificis quaestiones fidei finitae non sunt: iudicium scilicet ceterorum solum non est irrefragabile; eorum igitur magisterium seorsim sumptum nondum obligat Ecclesiam ad fidem: seu non est magisterium universale; non ergo vindicare sibi potest promissionem divinitus factam infallibilitatis.

Iam vero haec est ratio cur dicamus hanc doctrinam, quam defendimus, esse antiquam. Nam quid sibi vult sententiam omnium Episcoporum in Concilio oecumenico indigere confirmatione Papae ut valeat? an putabimus confirmationem Papae eo redire ut sit quaedam authentica testificatio quod concilium legitime peractum fuerit? Haec fuit quidem opinio Gallicanorum, quam Bossuet l. c. defendit; sed quis dixerit veteres fuisse gallicanos? An censebimus eo confirmationem postulatam redire ut per eam obligatio quidem imponatur fidelibus credendi id quod magisterium iam tamen infallibile docuerat? At primo haec distinctio quod in Ecclesia aliud sit magisterium infallibile et habens vim obligandi, aliud sit magisterium infallibile quidem, sed carens per se vi obligandi, nescio quomodo proferri possit ab iis qui nostram sententiam accusare velint novitatis; quos enim testes dabunt huius distinctionis? Praeterea haec distinctio nequit cum certa veterum doctrina componi. Nam certum fuit licere etiam in materia fidei a sententia totius Synodi appellare ad sententiam Romani Pontificis, sicut certum fuit quaestiones fidei eiusdem sententia finiendas esse. An putabimus appellari posse a sententia infallibili, idque veteres censuisse? Nemo non videt incommoda huius opinionis, quemadmodum et paulo ante iam monuimus. Quid ergo restat? Si veteres consulamus, docebunt nos unanimiter confirmatio-